

ostetr.
001

Am 1. April 1794

DE
QVIBVSDAM
GRAVIDARVM
VARICIBVS

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

ADAMO MICHAEL BIRKHOLZ

PHILOS. ET MEDIC. D. COLLEG. MAI. PRINC. SOD.
FACULT. MEDIC. ADSESS.

PRO GRADV DOCTORIS

OBTINENDO

A. D. XV. IVNII CIDICCCLXXXVII

H. L. Q. C.

DISPVAT

AVCTOR

SAMVEL GOTTHELE CRVSTVS

DRVSKAVIA LVSATVS
MEDICINAE BACCALAVREVS

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



DE QVIBVSDAM GRAVIDARVM VARICIBVS.

§. I.

Instituti Ratio.

Grauiditatem multas atque varias in corpore gignere mutationes, et in omnes corporis partes agere, quis est, qui nesciat.

Equidem credo, ex optimi creatoris studio in res creatas, haec omnes mutationes, neque ad mulierum perniciem, neque ad morbos in earum corporibus, gignendos euenire, atque iis fuisse destitutus, si corpore in statu primo mansissent. Nunc autem per varium variarum rerum abufum, victus et amictus, deliciarum et voluptatum corporis et animi, quibus solida aut exsiccantur aut debilitantur, humoresque aut inspissantur aut soluuntur, praedipositum est corpus, ad varios morbos, e Grauiditate originem et occasionem trahentes.

Corpore autem sic corrupto, experientia edocti, scimus, graviditatem multis et vehementioribus et pertinacioribus morbis ansam praebuisse.

At enim vero mihi nunc scribendi consuetudine atque necessitate imposita, ex his multis grauidarum morbis, vnus tantum generis quasdam species exponere animus est. Scilicet varices, quorum tractatio atque curatio nostris temporibus saepius occurrit quam olim, et de quibus nunc quoque accuratius cogitatur et agitur quippe quorum incommoda inde exorta atque mala latius paullo patent, mihi quoque pertractandos sumsi, eorundem quidem hac fere species, quae partum difficilem reddere possunt.

Equidem noua hic in medium proferre et explorata et quae summam litterarum praecipue antiquarum cognitionem spirent, nec volo, nec possum, quippe qui vix praeceptorum Scholas reliqui; attamen, quum paullo diligentius arti obstetriciae operam dederim, bene cognoui, et ex optimorum auctorum obseruatis, et ex doctissimorum praeceptorum dictis, quae et quanta incommoda varices in partu faciant, siquidem ano, vesicae, vaginae atque labiis pudendorum inhaereant.

Et quum iam in eo sim, vt artem hanc ipse exercere cupiam; haud inepte agere mihi visus sum, si locum quendam, qui ad artem obstetriciam proprius pertineat, pertractarem. Equidem optarem vehementer, vt maturiore et pleniore ingenio aequae ac maiori experientia instructus, hanc meam qualemcunque dissertatiunculam conscribere atque ornare possem. Quod si vero Deus O. M. vitam viresque seruauerit, aliquando vberiori experientia
mactus,

mactus, hanc ego materiam copiosius paullo atque diligentius describeremihî proposui.

Praecipue vero varicum Aetiologiam pertractabo, postea quaedam quae ad Therapiam et ad effectus eorum in partu spectant, additurus.

§. II.

Descriptio Morbi.

Varix est venae tumor, atque infarctus, a sanguine grumoso et spisso oriundus, et praecipue in valuularum regione venam in maius expandens volumen *).

Volumen varicum vario modo differt; concrefcit enim aliquando a fabae magnitudine vsque ad oui gallinacei volumen, quod interdum superat **). Est quidem varix semper timendus, imprimis vero tum, cum paullo maior factus fuerit ***). Tumorem autem varicosum adesse, indicant dolor lancinans et aestuans in loco affecto, qui crescente tumore, crescit; si locum tangis, facile de rei veritate persuadere tibi poterit, tumorem nimirum senties,

A 3

qui

*) Est morbus, et non vt quidam voluerunt, studium naturae, materiam morbosam educendi.

***) Friedius tales vidit eosque sacculos sanguineos nominavit.

****) Lieutaud in T. I. p. 356. Varices exigui nullum pariunt incommodum, sed vbi certam molem assequuntur, molestissimi euadant, tantum enim incrementum capeffere possunt, vt pugni magnitudinem superare, vel sanguinis libras circiter recondere valeant. Minime sane mirum, si a tanta dilatatione vasa dilacerentur.

qui ab initio cedit digito et mollis est, in posterum vero tempus durior fit. Quodsi varices in vesica urinaria locum habent, omnis dolor grauior erit et symptomata grauissima oriuntur; eademque tunc augentur numero et volumine, ita, vt sanguinis etiam circuitus in portarum systemate impediatur. Summae anxietates, a nervorum pressione, languor, Cardialgia, spasmi et conuulsiones oriuntur, quae incommoda Cl. CHABON DE MONTAUX obseruauit *). Somnolentiam quoque ducunt **), et colorem pallidum vel non nunquam flauum.

In foeminis hystericis grauiora haec omnia sunt symptomata, ob systema neruofum iam antea debilitatum.

Sunt quidem plura symptomata, quae uero clare et per se patent, quippe quae tanquam morbi effectus necessarii considerata sunt v. c. alui segnities, et siquidem in collo vesicae reperiuntur, urina suppressa.

§. III.

Causae praedisponentes.

Corporis constitutionem ad varicum praedispositionem facere, dubium fere non est. Organa nimirum peluis, corporis nimia siccitas et obesitas, sanguinis qualitas et quantitas, vasorum tonus, et ipsa venarum structura, neruorum debilitas, Morbi praegressi vt scabies, gonorrhoea, et uniuersalis cachexia, venarum et arteriarum directio et situs, aetas, temperamentum, bilisque vitia huc referenda sunt.

Vteri

*) De Maladies des femmes T. II. p. 234.

***) HERRMANN BOERHAAVE in Inst. §. 857.

Vteri vitia organica praecipue obliquitas si antrorsum oblique descendit, ad vesicae varices praedisponunt. Pelvis etiam, si ex ossibus iliacis planioribus constituitur, varicibus tali modo fauet, ut nimirum vterus grauidus, versus tuberculum ossis sacri inclinans, in omni hac regione intestinum rectum cum venis suis comprimatur, et antrorsum simul in synchondrosin ossium pubis dirigatur; ex venis vero ita compressis, circuitus impeditus sanguinis, qui quidem eo facilius ad stagnationem proclivis est, quo spissior in foetu, indeque iam factis secretionibus, redditus esse videtur, ob circuitum. Quod si vero nunc corporis ficcitas et venae omni adipe nudaee accedant, et vterus quasi inclauatus easdem omni vi sua in masculos pelvis adigat prematque, haud obscurum sane tibi erit, quam facile inde varices oriri possint. Obesitas autem e contrario tandem varicibus quoque fauet, tanquam causa cum suo effectu. Omne enim corpus large nutritum, aequae ac vere phlegmaticum, quam plurimas particulas nutrientes in telam cellulosaam deponit, indeque ad atoniam praedisponitur. Nulla vero vasa procliuiora esse ad atoniam, quam quidem venae ob tenuiorem structuram muscularem, et largiorem telam cellularem, non est cur dubitemus. Haec vero atonia in grauiditate quam maxime augetur; quando quidem omnes partes nobiliores in foetus nutritionem adhibentur, ita ut corpus feminae hoc quidem tempore vigore atque vi sua elastica prorsus fere destitutum esse videatur. Cui quidem euentui quamuis nomen dare non possint, hoc tamen non ignoramus, esse causam nutritione solidorum partium repetendam, quae aut plane non, aut iusto parcius, nutriantur. Cuius nutritionis solidarum laesio atque defectus, solida relaxat, humores vero spissiores, crassiores tenaciores efficit, hinc maiore vi in solida agunt, et solida non ita, ut ante, sufficiente vi reagente renituntur, hinc expanduntur.

panduntur

panduntur venae, et omnem aliquando amittunt tonum, indeque tandem varices ortum trahunt suum.

Plethoram partialem, eandemque abdominalem, grauiditatis tempore adesse, res fere notior est, quam vt enarrem, sed copiosiores quoque in vtero positas arterias spirales, quae in longitudine sua et in diametro tunc temporis quam maxime a sanguinis copia expanduntur, cognitio anatomica demonstrat *). Venae nunc quoque maiorem recipere debent sanguinis copiam, quae, dum lentior fluit varices maxime iuuat; vis enim sanguinis in venarum valuulas magna, omnino vero maxima est tum, cum plerumque hae valuulae passivae, neque vero activae, sese habeant. Gonorrhoea praegressa multum quoque hic valet, quia ex consueta sanguinis irritatione sanguis ad genitalia fertur, ita, vt vis praeternaturalis maior, ac pro earum virtute naturali fieri potest, venarum ad reuehendum sanguinem postuletur.

Feminae, quae in iuuenili aetate arthritide laborauerunt, ob singularem humorum tenacitatem ad varices praedipositae sunt, idem quoque efficit materia rheumatica et scabiosa.

Aetas senilis, ob vasorum rigiditatem hic quoque in censum venit.

Praecipue relaxata corporis constitutio magni ponderis res in varicibus grauidarum esse solet. Ad praedisponentes varicum causas porro pertinet abusus medicamentorum imprimis drasticonum et summopere adstringentium. Pilulis sic dictis polychrestis multae abutantur, etiam grauidae, quod quidem sua sponte faciunt, sed

*) BAVDELOQVES in versione germanica p. 99.

sed quantum ad varices gignendos abusus hiece valeat, non est quod dicam; et pium omnino medicorum manet votum atque desiderium, ut pilulae quae promiscue hoc nomine, varia tamen compositione, nec semper innocua, constructae sunt, non publicae prostant ad usum communem.

Sic res quoque se habet, cum protulentis spirituosus vino recenti et spiritu frumenti, quippe quae solida exsiccant, fluidaque inspissant, et ita vasa et humores ad varices praedisponunt.

§. IV.

Causae occasionales.

Causarum occasionalium primariam habeo grauiditatem.

Vita sedentaria, quae quidem non tam frequens est in feminis; si locum habet, tunc eo peccat, atque efficit, ut vasa premantur, quia abdomen compressum est. Circuitus enim regressivus sanguinis non sat cito absolui potest, hinc ad obstructionem proclivis redditur, sanguis in venis praecipue si ad inferiora pectus simul inclinatur. Grauem occasionem quoque praebet perniciosissimum illud ornamentum feminarum, thorax, nimirum ob intestinorum compressionem, id quod magni momenti est, imprimis vero dum feminae debiliores prae ceteris eo utantur. Sunt enim vero aliquae feminae ita moribus deprauatae ut pulchritudini suae magis quam quidem sanitati studeant. Quae sane res ex mea quidem sententia magnam omnino attentionem meretur. Abusus veneris, quia sanguinem ad genitalia proritat, huc quoque pertinere videtur. Animi deinde pathemata omnia, moeror imprimis

B

mis

x
mis atque iracundia; dum haec saepe spasmos per totam corpus efficiant.

Motus vehementiores, v. g. saltatio et paulo post refrigerium admissum praecipue si quis, quod quidem haud raro apud nos fieri solet consueto illo potu, limonade aut isto ab glacie algido, ad corpus refrigerandum pessimo quidem exemplo atque damno vtatur.

Somnus nimius, quia tempore somni sanguis lentior fluit, et transpiratio aucta est; indeque humorum crassities et ob lentiolem circuitum facilis stagnatio.

Feminae grauidae plura nonnunquam appetant, et ventriculum nimio cibo onerant; inde totum systema venae portarum premitur et liberior refluxus sanguinis impeditur, adeoque stagnationibus atque varicibus locus relinquatur.

In vulgus nota res est foemellas parcius, et, vel potu Coffeae excepto, nihil fere aliud bibere potum vero omnem sanguini diluendo quam maxime inferuire, non est, quod fusius demonstrarem. Illud vero potus genus, quo nimis large vtuntur, ipsis per quam nocinum est atque insalubre, quia ex sua indole in solidas agit partes relaxando, in humores vero inspissando, nec non multum ad diaphoresin facit et tenuiores humorum partes e corpore eiicit. Apud vilioris denique conditionis homines mala illa persuasio obtinet, de magna vtilitate balneorum calidorum, et praecipue grauiditatis tempore quibus quidem plurimae earum quotidie fere vtuntur. Omnium vero maxime inculpandus est tum ille, tum pestifer iste muliercularum mos, quo foculis, in vllis subtus positis, insident.

Cuncta

Cuncta quidem haec quomodo varicibus occasionem praebere possint, ex superioribus satis superque patere arbitror.

§. V.

De Varicum Diuisione.

Auctores, qui de varicibus scripserunt, varias varicum habent diuisiones, quas quidem omnes, si hic enarrarem, longior quam pro instituti atque temporis ratione, mea futura esset disputatio. Quo vero labore super sedere me posse, eo magis absque negligentiae culpa mihi visus sum, quo diligentius Richterius in sua disputatione easdem iam exposuit *).

De vna tamen specie hic agam, cuius etiam Math. Alix in fasciculis suarum obseruationum mentionem fecit, scilicet, sunt huius speciei varices, quibus nomen est inclauatis, ad quod ii pertinent, qui in collo vesicae vrinariae reperiuntur, vrinae excretionem impediunt, et tum medico tum aegroto summa incommoda atque negotia maxima facessunt, recteque inclauati dicuntur. Colum enim vesicae adeo replent et obstruunt, vt catheteris applicationi locus haud relictus sit; qui sane morbus, quo magis ad inflammationem vesicae facit et efficax est hoc certe magis molestus saepiusque periculosus est, censendus.

§. VI.

De Diagnosi et Prognosi.

Si varices partem aliquam tum visa tum quoque tactu explorandam occupant perquam facile tibi ex symptomatibus de eorum-

B 2

dem

*) Vide eius dissertationem de grauidarum varicibus. Lipsiae 1781.

dem praesentia persuadere poteris; sed longe difficilior eorundem est disquisitio atque cognitio, si in loco abscondito, nec tactu explorando, uti in vesica, adsint; ceterum hoc in utroque casu habent, ut raro vnum modo occupent locum; qua de re, si in certis quibusdam locis varices sint, eorundem vero symptomata in aliis quibusdam locis, tactu visuque praeclusis, appareant, ibidem locorum praesentiam eorundem, iure quidem optimo concludere potes atque debes.

Prognosis semper esse diagnosi difficilior, omnibus omnino medicis vna eademque consentiens est vox atque opinio. Quod si medicus in hoc nostro statim in auxilium vocetur; tunc omnino, si quidem causam veram recte, uti decet cognoverit, spes sanationis, atque reconualescentiae nobis affulget certissima. Si vero inueterati iam sunt varices, res dubia est et diutius paulo tolerandi et perferendi sunt, donec volumine eorundem magisque iusto aucto, disruptio indeque ulcera pessima et difficillimae curationis fiant, quae quidem ante partum prorsus non sanantur, eodem vero in lucem edito, diu adhuc sordent, multumque molestiae creant. Quod si vero non rumpantur varices hoc omnino bonum praesagium faciendum, eos post partum in integrum iterum redituros esse statum.

§. VII.

Therapiae Institutio.

Vti in omni omnino medicina, sic quoque in varicibus curatio ex causis desumenda est; quae quidem vel prorsus remouendae, vel si quidem mechanicae fuerint, per situm varium saltem sunt minuendae.

Humores

Humores scilicet si spissitudine peccant; dissoluendi, vti therapia generalis docet, si corpus atonia laborat; roborantia in usum adhibenda sunt. Praecipue vero Diatae rationem habeas, vbi antea iam dicta §. IV. sedulo cauenda atque obseruanda sunt. Inprimis mihi videtur huius loci esse, de lotione quidem genitalium foeminarum cum aqua frigida admonuisse.

§. VIII.

Monita quaedam curatoria.

Euaporationes quae ad partes affectas, in sella perforata plerumque admitti solent, non omni quidem carent vtilitate atque fructu, sed sicut qui commendent usum plantarum venenatarum, a quibus potius vt abstineas suaderem; dolorem quidem auferunt, sed simul quoque male afficiunt, solida exsicant et humorum mixturem deprauant. Id quod de harum plantarum oleo quoque valet *). Maiore cum fiducia ad opii usum in vehementioribus doloribus confugerem. Causticis quoque ad varices extirpandos nonnulli vtuntur remediis, sed haud dextra cum manu, quia scilicet inflammatio, ad quam corpus iam est praedispositum, hisce augetur, et vlcera sordida ex horum usu remanent, quae omnium, difficillime persanantur. Aperiendi sunt quidem varices, si summae anxietates, conuulsiones, doloresque vehementissimi vrgent, et alui subductio diu fuit impedita. Sed tunc varicum euacuatio forcipe aut scalpello fiat necesse est, nec nisi in extremo periculo, summaque vrgente necessitate.

Hic mihi quoque reprehendus videtur vsus corticis chinae, qui, quum aluum sequiorem reddat abesse potius, inque eius locum cascarillae vsus substitui debet. vehementiora adstringentia spirituosissima, quibus abuti quidam solent per quam caute adhibenda sunt. Praestantissimum procul dubio, est acetum eum aqua frigidiuscula, quod siue ad clysmata siue ad alium vsum externum adhibeas, omnium optimum et in roborandis solidis, et in dissoluendis fluidis esse videtur. Plura hic non addam, quia omnia perquam nota et artem exercentibus valde sunt conspicua.

§. XI.

Varices, impedimentum partus.

In quouis tandem loco reperiantur varices, partum impedire omnino possunt. Anni varices propter excretionem aluinam impeditam, caput antrorsum premunt, et impediunt, quo minus axis capitis, axi pelvis respondere possit, efficiuntque ut in synchondrosin ossium pubis subsideat, adeoque ipse partus forcipe fit educendus. Tali quoque modo antrorsum per vrinae excretionem impeditam caput foetus inclauatur, vbi in doloribus ad partum non facies, sed vertex ossi sacro respondet, et partus difficillimus redditur. Vaginae varices non adeo frequentes sunt et a vi foetus in doloribus ad partum dirumpuntur. Sed in labiis saepius occurrunt, et tunc sufficientem expansionem vaginae vteri Impediunt. In hoc vero casu euacuandi sunt varices, ita ut in exteriori labiorum margine apertura cum scapello instituat.

§. X.

Plura quidem adhuc de varicibus addere et potuissem et omnino debuisssem, sed paruo temporis spacio et exiguis libelli limitibus exclusus, cuncta illa in illud differam tempus, quo propria experientia edoctus plura ipse pertractare poterò, atque cum viris doctis communicare.

192

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.

Obstr. 61

